



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Sextus. Contemplationem negatiuam pro termino habere
conceptum affirmatiuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

corde suggerunt falsam iustitiam, & falsam intelligentiam pro luce veritatis, etiam quædam subtilia, & quasdam reuelationes in aliquibus operantur: item quædam noua, & insolita, quæ curiosi, & simplices mirantur, & venerantur.]

Omissis porrò [varijs documentis, quibus bonæ, malæue discernuntur a reuelationes,] breuiter maioris elucidationis, & vtilitatis gratia, varias species Ecstasis hic apponimus. Et harum prima est insania mentis, vel delirium, quæ potest oriri, vel ex nimio senio, vel atabili; quam (sicut etiam alios corruptos humores) internalis ille Coluber, quo eius mancipia (commodius ad illusiones piorum) in falsas Ecstases abire possint, commouere solet. Secunda est ex vehementi stupore vt Jacobi, *b* qui audiens filium Ioseph viuere, q̄ asi de graui somno euigilabat. Tertia, in sereno animo, cum is ferriatus à sensibus in placida, ac dulci contemplatione, & dilectione Dei versatur: sicut fit in sopore diuinitus immisso, aut dulci progressu à minus intenso ad maius intensum. Quarta, est plenitudo Prophetiæ visionis, quæ in scripturis habetur frequenter. Certa etiam signa falsæ Ecstasis, apparitionis, aut visionis sunt: si post similia quis superbiat, honorari, & æstimari desideret, illibenter obediatur, aut subditus sit, vel alijs vitijs notetur obnoxius esse, ac in virtutum studio segniùs agere. Ne autem contemplatio negatiua inaniter

omnia videatur transcendere, consequenter ponitur,

Contemplationem negatiuam pro termino habere conceptum affirmatiuum.

ARTICVLVS SEXTVS.

NE contemplator ita negationi intendat, vt non tantum per auersionem creaturarum, intermediam, vel etiam finalem fruitionem negando rejiciat, & eo modo omnis boni communionem se se destituat, ac extra vsum & felicitatem mysticam colloquet. Sciendum est, quod nulla prorsus adhiberetur de Deo, ac rebus diuinis negatio, nisi continuò maiorem depurationem intenderet mysticus, & cognitionis, & amoris. Vnde & sacer Dionysius, postquam charissimo Timotheo, omnem negationem suaserat, annectit; vt dein [scipsum ad e] eius, qui omnem essentiam, omnemque scientiam superat, coniunctionem, & vnitatem pro virili parte, clam excitet] negatio ergò in statu contemplationis, est solummodo medium, vt quis libero soluto, ac liquido à se ipso, & ab omnibus discessu, ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendat. Ideò etiam vult Candsfelt noster, vt via negationis, *d* & annihilationis tãdiu procedatur, quò usque conceptum affirmatiuum attingat, & Deo, qui omnia est transcendendo, coniungatur.

Et

a Calagur. Theol. Myst. c. 8. b Gen. 45. c S. Dion. Th. Myst. c. 1. d Cands de Vol. Dei 3. p. c. 12.

Et quia [contemplatio a intellectio-
nis in affectu voluntatis terminatur,]
nisi post abstractiones conceptus affir-
matus assumatur, nil vnquam de Deo
veri, & boni participabit, sed miris spi-
ritus obscuritatibus, & pressuris se se in-
uoluet contemplans. Atque idè in to-
ta mystica serie, quocunque modo, via,
aut medio quis procedat, hoc spectari
debet, vt per auersionem, & transcen-
dentiam omnium quę sunt, & quę non
sunt, dein Deus concipiatur, & ametur
vti in se est primum pulchrum, & bo-
num, cuiusque conuersatio tedium
b non habeat, nec conuictus illius tri-
stitionem; sed lætitiā & gaudium. Deum
autem concipere, pro vt magnitudinis
sua mole premit, ad peccatores refer-
tur, ac tum mystico seruit, quando ex
certa negligentia in defectus (quos-
cunque tandem) dilapsus esset. Quod
autem contemplatio negatiua non tan-
tum post transcendentias, Deum vt
summum bonum apprehendat; sed et-
iam varijs actionibus pro ipso bono re-
tinendo occupetur, iam consequenter
dicendum erit,

*Quod contemplator negans habito conceptu
affirmatiuo, paulatim debeat fruitionem
continuari trinitaria distinctione.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

QVando ergò contemplans conce-
ptu negatiuo Totius, siue Dei ali-
quam communionē acceperit, non im-
pertinenter illā reijcere, aut negare, sed
secundum quod Deo spirituali modo
coniūgitur, acceptare & intueri debet.

nam [si dati sibi modicè c exiguiq; lu-
minis fines transeat, & aduersos radios,
id quod eius aspectum superat, temerè
intueri conetur, lumen quidem nihil
præter id, quod est accommodatū effi-
ciet, ipsum autem liberum arbitrium,
quod perfectis rebus minus perfectè
studet, datque operam, nec ad ea quę
ipsius non sunt, perueniet: nec medio-
critatem illam, quod immoderatè se ef-
ferat, atque iactet per se assequetur.]
aliud ergò est negare concomitantem
sensibilitatem, aliud negare ipsam cum
Deo vnionem, propter quam quilibet
mysticorum quoque modo, vel affir-
mando, vel negando, operatur. sensibi-
litate ergò non tam reiecta, quam ne-
glecta, ipsam animi cum Deo coniun-
ctionem prosequatur, triplici illa di-
stinctione; qua conformiter ad sub-
stantias separatas, ex præhabita diuina
communione in amore, seu voluntate
fundata, intellectus agens speciem fa-
bricat d pro primo, quam pro secundo
intellectus patiens recipit, & totius con-
ceptus rationem exprimendo perficit;
vt pro tertio ex vtroque dilectio pro-
ducatur. Sicut ad rationem operatio-
num diuinarum ad intra, prius est ipsa
Diuinitas, seu prima Bonitas; quam
quidem pro primo Deus Pater intelle-
ctu concipit, & exprimendo, pro secun-
do Filium gignit, & tertio ex vtroque
spiritus Sanctus procedit. & sicut hæc
quatuor sunt de ratione Sanctissimæ
Trinitatis, ita & illa priora quatuor de
ratione vnus perfectę operationis my-
sticę,

M

sticę,

a S. Tom. 22. q. 180. a. 1. c. b Sap. 8. c S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3. d Vt etiam dictum sua decis. 7. a. 8.